



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Die 1. Festum S. Petri ad Vincula

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

filiis : Gratulemur & matri Romanæ  
Ecclesiæ, &

*Instructio meritoria.*

Jubilemus hodie in Domino, intonan-  
do *Te Deum Laudamus*. Et ut inclyta  
societas in spiritu, zelo, & fervore crescat  
Apostolico, sacramentalem Commu-  
nionem cum operibus totius diei SSS.  
Trinitati offeramus. Decet in Deo co-  
lere, & venerari sanctos, præsertim Pa-  
tres multorum filiorum Christo, & cœlo  
renatorum.

AUGUSTUS.

Festum S. Petri ad Vincula.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**lli! libertatem nobis dedit Deus. At-  
tendamus, ne perdamus peccan-  
dò, sicque voluntariè in servos diabolo  
nos mancipando. Servitute hac quid  
infelicius? Ut evitarent Sancti, quid non  
egerunt? Quantum vitæ rigorem in se  
non susceperunt? Et servitutem adeò  
amaram ac flebilem nos (ô cœcitas!)  
sponte quærimus, & quæsitam diligi-

T mus?



mus? Ah! rumpamus tandem vincula  
captivitatis adeò miseræ, deplorandæ!

*Instructio meritoria.*

Rumpamus, hodie in principio statim  
resistendo omni perversæ cupiditati, &  
exurgenti ad illicita inordinato, ac in-  
frunito desiderio cum generoso dicto  
*Non serviam* carni, oculis, corpori: sed  
Deo, & gratiæ. Id quod uno, vel alio  
modo mortificationis corporalis, aut ab-  
negationis actu probemus. Pro libertate  
spiritûs sanguini parcendum? Recitetur  
Psalmus: *In convertendo.* In servitio  
Divino summa libertas.

II.

**R**em miram! Petrus dormit, dum  
jacet in vinculis. En! veram ho-  
minis effigiem! Peccamus sæpiùs, & in  
peccatis ipsis dormimus quieti, nec vin-  
cula sentimus, vel si sentiamus, etiam  
placent, quia splendent aut inani vani-  
tate, aut momentaneâ voluptate. Quid  
autem cum anima? O si intueremur  
quot compedes, quot vincula non in ea  
deprehenderemus! Doleamus, expen-  
giscamur, & attoniti cum S. Augustino di-



dicamus : *Vinctus eram ; vincula non horrebam ; amarum dulce, & dulce amarum putabam.*

*Instructio meritoria.*

Estne, quod nostram torquet conscientiam? Citò excutiamus aut Confessione Sacramentali, aut contritione efficaci. Hanc ut roboremus, simul statuamus, id, cujus nos poenituit ad noctem, sequenti die seriò emendare memores illius : *Tanti non emam poenitere.* Neque unquam ibimus ad lectum nisi antea quinque *Pater & Ave* cum Psalmo *Miserere* pro beata, & quæta morte recitaverimus. Pietate fatalis excutitur somnus peccati.

III.

**D**ormientem Petrum excitat Angelus, quem & secutus est Apostolus. Ad veram conversionem mi fili, ut veniamus, excitantem Dei gratiam invocemus, & datæ promptè, ac hilari-ter obediamus. Nihil enim possumus sine gratia; cum illa autem omnia.

*Instructio meritoria.*

Ad signum salutationis Angelicæ nos

**T 2**

habea-



436 II. Augusti. B. V. M. de Portiuncula.

habeamus devotissimè, præsertim à ma-  
nè. Dum dicimus : *Ave* : Recorde-  
mur Mariæ ; quia *gratia* plena. Com-  
mendemus ei, quoties hoc signum datur  
per diem, nuditatem animæ nostræ, ro-  
gantes, ut cum Dei gratia sanctè vivere  
& quondam suaviter ex hac vita ad æter-  
nitatem discedere liceat. Dilectè! fili-  
simus gratiæ, non iræ, & furoris Do-  
mini. Hinc oremus in veneratione  
Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ  
*novies Magnificat.*

Solemnitas Beatissimæ Virginis  
Mariæ de Portiuncula.

EXHORTATIUNCULA I.

**S**ic Jesus, & Maria dilexerunt mun-  
dum, ut hodie gratiam darent in-  
auditam, & indulgentiam concederent  
plenariam, ac omnium peccatorum re-  
missivam. Quid pro nostra salute, &  
spirituali consolatione exoptabilius?

*Instructio meritoria.*

Dies gratiæ, dies hodierna. Utamur  
pro anima. Dimittamus opera tenebra-  
rum, & exerceamus opera lucis, vel dan-